

Quid ni, inquit Cæsar? non expectavit ille amplius, protinusque per fenestram misit, propè dignus qui pari proteruia iocandi post turdum mitteretur.

## LICINIUS LIBERTVS AVG.

**L**icinius Libertus Augusti, operibus patroni pecuniam largiter in subsidium præstare consueuerat, cœpto opere, scripsit ei certam pecuniam promittere, sed id non explicitè, immò literis numeros repræsentantibus. Animaduertit Cæsar, aliquantulum spatij vacantis, illud propria manu, totidem quàm similibus additis literis impleuit, duplicauit summam, tam solerter vt nulla suspicio inesset. Agnouit libertus, & promissi duplum soluit tacuitque, de hinc opus aliud aggresso, sic allusit Misso chirographo, in quo scriptum erat: Confero tibi Domine ad noui operis impensam quod videbitur, iocosam fraudem retentari, urbana dicacitate prohibuit.

## ALII IN AVG.

**I**am illa mordaciora sunt, cœnam clandestinam, magno sumptu studioque fecerat, qua ipse quidem Apollinis habitu, cæteri conuiuæ singulorum Deorum Deorumque gestu discubuerant. Eius cœna in-